

dicare prohibuit, elegit sanctos, qui immundos spiritus eiecerunt; & ipsi mundum Evangelium mente & lingua predicarent. Quibus etiam ceteras infirmitates curandi, necnon & mortuos suscitandi (ut Mattheus Evangelista scribit) contulit facultatem; ut promissorum celestium magnitudine attestatur, etiam magnitudo factorum, fidemque verbis daret virtus ostensa, & nova facerent, qui nova predicarent. Unde nunc quoque cum fidelium numerositas excrevit, inter sanctam Ecclesiam multi sunt qui viam virtutis tenent, & signa virtutum non habent: quia frustra miraculum foris ostenditur, si deest quod intus operetur.

Lectio ij.

ET Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & impo-
suit eis nomina Boanerges, quod est, filii tonitruu. Aptè illi tonitruu sunt cognominati: quorum unus è celestibus intonans, vocem illam theologiam, quam nemo prius edere noverat, emisit. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Quæ tantæ virtutis pondere gravida reliquit, ut, si aliquando plus intonare voluisset, nec ipse capere mundus posset. Sed & ambo sæpè seorsum, & in montem à Dòmine ducti, & aliquando sonum de nube terrificum percipere meruerunt: Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite. Præca quoque nominamè meritis aptissima gestabant, Jacobus enim supplantator; Joannes, in quo est gratia, vel Domini gratia, dicitur. Namque ille & carnis curam, Domino vocante, supplantare, & ipsam carnem, Herode trucidante, gavisus est contemneret. Iste ob amoris præcipui gra-

tiam, quam virginali gloriâ meruerat, super Redemptoris sui peccatus in cæna recubuit.

Oratio.

DA, quæsumus omnipotens Deus: ut beati Jacobi Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas; & devotionem nobis au-geat, & salutem. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Et fit Commemor. S. Christianæ Virginis & Martyris, Aña. Simile est regnum cælorum homini negotiatióri querenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, & comparavit eam. **V.** Diffusa est gratia in labiis tuis. **R.** Proprieta benedixit te Deus in ætærum.

Oratio.

Indulgentiam nobis, quæsumus Domine, beata Christina Virgo Martyr impleret: quæ tibi grata semper exiitit & merito castitatis, & tuæ professione virtutis. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

DIE XXV. JULII.

In Festo Sancti Jacobi Apostoli, & Hispaniarum Apostoli & Patroni.

Duplex j. Classis cum Octava.

A D V E S P E R A S,
Antiphona. Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi, cum reliquis de Laudibus. 80. Psalmus. Dixit Dòminus, cum reliquis de Comuni Apostolorum. ij.

Capitulum. 1. Cor. 4. b.
Rares, Puto quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Hymnus.
Defensor alme Hispaniæ
Jacobe, vindex hostium,
Tonitruu quem filium
Dei vocavit Filium:
Huc cæli ab altis sedibus,

Con-

Convertè dexter lúmina,
Audique læti deditas
Grates tibi quas solvimus.

Gratè refert Hispania,
Felix tuo quæ nomine,
Te gloriatur jüger
Dignata sacris ossibus.

Tu cæca nox, atque impia
Nos cum teneret vanitas,
Lucem salutis primitus
Oris Iberis impetras.

Tu, bella cum nos cingerent,
Es visus ipso in prælio,
Equoque & ense acerrimus
Mauros furèntes sternere.

Freti tuo nos pignore,
Largum tuo te munere
Rogamus omnes, ut tuæ
Spe protegas præsentia.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paráclito,
Et nunc, & omne in sæculum.
Amen.

V. In omnem terram exivit sonus eorum. **R.** Et in fines orbis terræ verba eorum.

Ad Magnificat, Antiphona.
Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: occidit autem Jacobum fratrem Joannis gladio.

Oratio.

Esto Dòmine plebi tuæ sanctificator & custos: ut beati Jacobi Apostoli tui munita præsidis; & conversatione tibi placeat, & securâ mente deserviat. Per Dominum nostrum Jesum Christum, &c.

Ad Matutinum, omnia usque ad Lectiones de Comuni Apostolorum. iij.

In primo Nocturno.
De Epistola prima beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

Lectio j.
Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensato-

res mysteriorum Dei. Hic jam queritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniat. Mihi autem pro minimo est ut a vobis judicer, aut ab humano die: sed neque meipsum judico. Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicet me, Dòminus est. Itaque nolite ante tempus judicare, quoadis que veniat Dòminus: qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo.

R. Procédens Jesus juxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem ejus, in navi, & Et vocavit eos: qui statim relicti rébus, & patre, secuti sunt Dòminum. **V.** Erat Jacobus & Joannes fratres in navi cum Zebedæo patre eorum, reficientes rétia sua. Et vocavit.

Lectio ij.

Hæc autem, fratres, transfiguravi in me & Apollo, propter vos: ut in nobis discatis, ne supra quam scriptum est, unus adversus alterum infletur pro alio. Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis? Jam saturati estis, jam divites facti estis: siab nobis regnatis: & utinam regnetis, ut & nos vobiscum regnemus. Puto enim quòd Deus nos Apostolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

R. Vocavit ad se Dòminus Jacobum Zebedæi, & Joannem fratrem Jacobi, & fecit ut essent secum inter duodecim, & ut mitteret eos predicare. **V.** Et imposuit eis nomina Boanerges, quod est, filii ton-

ni-

nitruī. ¶ In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Et impoſuit.

Lectio iij.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. Usque in hanc horam & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cedimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tamquam purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripetima usque adhuc. Non ut confundam vos, hæc scribo, sed ut filios meos charissimos moneo. Nam si decem millia pedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

R. Cum venisset Jesus in domum principis Synagogæ, Non permisit intrare secum quemquam, nisi Petrum, & Jacobum, & Joannem, & patrem & matrem puella. ¶ Et dixit: Nolite flere: non est mortua puella, sed dormit. Non. Glória Patri. Non.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Jacobus, Zebedæi filius, Joannis Apostoli germanus frater, Gallæus, inter primos Apostolos vocatus cum fratre, relicto patre ac rétib; secutus est Dominum, & ambo ab ipso Jesu Boanerges, id est, tonitruī filii, sunt appellati. Is unus fuit ex tribus Apostolis, quos Salvator maxime dilexit, & testes esse voluit suæ transfigurationis, & interesse miraculo, cum archisynagogi filiam à mortuis excitavit, &

addeſſe, cum secēſſit in montem Oliveti, Patrem oraturus, antequam à Judæis comprehenderetur.

R. Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem fratrem ejus, & duxit illos in montem excelsum seorsum, ¶ Et transfiguratus est ante eos. ¶ Et ecce apparuerunt illis Moyses & Elias cum eo loquentes. Et.

Lectio v.

Post Jesu Christi ascensum in cælum, in Judæa, & Samaria ejus divinitatem prædicans, plurimos ad Christianam fidem perduxit. Mox in Hispaniam profectus, ibi aliquos ad Christum convertit, ex quorum numero septem postea Episcopi à beato Petro ordinati, in Hispaniam primi direxi sunt. Deinde Jerosolymam reversus, cum inter alios Hermogenem magum fidel veritate imbuisset, Herodes Agrippa Claudio Imperatore ad regnum elatus, ut à Judæis gratiam iniret, Jacobum liberè Jesum Christum Deum confitentem capitis condemnavit. Quem cum is, qui eum dixerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntem vidisset, statim se & ipse Christianum esse professus est.

R. Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari? dixit Jesus Jacobo & Joanni filiis Zebedæi: ¶ At illi dixerunt ei, Possumus. ¶ Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, & baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini. At illi.

Lectio vi.

Ad supplicium cum raperentur p̄stitit ille à Jacobo veniam: quem Jacobus osculatus, Pax, inquit, tibi sit. Itaque uterque est securi percussus, cum paulo ante Jacobo

cõbus paralyticum sanasset. Corpus ejus postea Compostellam translatum est, ubi summâ celebritate colitur, convenientibus eò religionis & voti causâ ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipsius natalis hodierno die, qui Translationis dies est, ab Ecclesia celebratur, cum ipse circa festum Paschæ primus Apostolorum Jerosolymis profuso sanguine testimonium Jesu Christo dederit.

R. Assumpsit Jesus Petrum, & Jacobum, & Joannem secum, & cœpit pavere, & tædere: ¶ Et ait illis Tristis est anima mea usque ad mortem. ¶ Sustinete hic, & vigilate mecum. Et ait, Glória Patri. Et ait.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio vij.

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Chrysostomi.

Homilia 66. in Mattheum.

Non turbetur quisquam, si ad eò imperfectos dicimus Apostolos fuisse: nondum enim mysterium crucis erat consummatum, nondum gratia Spiritus in corda ipsorum infusa. Quod si virtutem ipsorum discere cupis, quales post datam gratiam Spiritus fuerint, considera, & videbis omnem ab illis perversam affectionem fuisse superatam. Hac enim de causa eorum modò imperfectio revelatur, ut apertè percipere possis, quales subito per gratiam effecti fuerunt. Quòd igitur nihil spirituale petebant, nec de cœlesti regno quidquam cogitabant, perspicuum

Parte Estiva.

est. Sed tamen inspiciamus etiam quomodo accedant, & quid dicant. Volumus, inquit, ut quodcumque petierimus, facias nobis. Ad quod Christus: Quid vultis? respondit non ignòrans certè, sed ut eos respondere cogat, & ulcus detegat, & ita medicamentum apponant.

R. Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: ¶ Occidit autem Jacobum fratrem Joannis gládio. ¶ Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis. Occidit autem.

Lectio viij.

Illi verò cum erubescerent, & verecundia prohiberentur, quoniam humano affectu eò devenerant, seorsum ab aliis discipulis Christum accipientes interrogaverunt. Progressi sunt enim, inquit, ne illis manifesti fierent: & ita demum ea, quæ volebant, dixerunt. Volebant autem, ut ego conjicio, quoniam super duodecim sedes sessuros discipulos audierunt, primatum hujus consensus imperare: & præponi quidem se cæteris sciebant, Petrum verò sibi præferri formidantes, dicere ausi sunt: Die ut unus à dextris, alter à sinistris sedeat. Et urgent dicentes: Dic. Quid igitur ipse? Ut significaret eos nihil petere spirituale, sed nec scire quidem quid postulerent: non enim petere auderent, si scirent: Nescitis, ait, quid petatis: nescitis quam magnum hoc sit, quam mirabile, ac ipsas superiores excedens virtutes.

R. Iste est, qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo: ¶ Cujus corpus in Gallæciam delatum, per totum orbem

Vvv

gló-

glória illustratur. **V.** O sidus, & decus Hispaniæ, Sancte Jacobe Apostle, intercede pro nobis ad Deum qui te elegit. Cujus corpus. Gloria Patri. Cujus.

Lectio ix.

ET adjecit: Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? Perpendis, quomodo statim ab hac opinione ipsos removit, contraria eis disserens. Nam vos, inquit, de honoribus & de coronis mecum agitis: ego verò de lactamine atque sudore dissero. Non premiorum hoc tempus est, nec illa gloria mea modo apparebit: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Te Deum laudamus. 12.

AD LAUDES,

& per Horas, Antiphona.

Accessit ad Jesum mater filiolorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. **Psalm.** Dominus regnavit, cum reliquis de Dominica. 13. **Ant.** Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in regno tuo. **Antiphona.** Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. **Antiphona.** Calicem quidem meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est

à Patre meo. **Antiphona.** Quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister.

Capitulum. 1. Cor. 4. b. **R.** Patres, Puto quod Deus nos Apóstolos novissimos ostendit, tamquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & Angelis, & hominibus.

Hymnus.

Jesu salus mortálum, Nobis ades, dum dicimus Laudes patróno Hispaniæ Tuam canentes glóriam. Laudándus hic est unice, Quod primus in certamine Apóstolis ex ómnibus Pro te profudit sanguinem. Tui beatus plúribus Notis amoris máximi: Quod testis usque iníerfuit, Recónditis mystériis: Seu vi poténtis dextere Surgit Jairi filia, Quando in patérnis adibus Est excitata ab inferis: Seu vultus, ut sol, splendídis, Et vestis, ut nix, cándida, Thabóris alto in vértice Signum tuæ dant glórie: Seu montis olivis consito Angóris est index tui Sudor, tuo de corpore, Ceu gutta manans sanguinis, Deo Patri sit glória, Ejusque soli Filio, Cum Spiritu Paráclyto, Et nunc, & omne in sæculum. Amen.

V. Annuntiaverunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexerunt. **V.** Ad Benedictus, Antiphona. Visitavit nos per sanctum suum Apostolum, & fecit salutem de inimicis nostris, Dominus Deus noster.

Ora-

Oratio.

Esto Dómine plebi tuæ sanctificator & custos: ut beati Jacobi Apóstoli tui munia prasidiis, & conversatione tibi placeat, & secure mente deserviat. Per Dóminum, &c. **Ad Tertiam, Antiphona.** Dic, ut sedeant. **Capitulum.** Fratres, Puto quod Deus, ut supra.

R. br. In omnem terram * Exiit sonus eorum. In omnem. **V.** Et in fines orbis terræ verba eorum. Exiit. Glória. In omnem. **V.** Constitues eos principes super omnem terram. **R.** Mémores erunt nóminis tui Dómine.

Ad Sextam, Antiphona.

Potestis bibere calicem.

Capitulum. 1. Cor. 4. c.

Nos stulti propter Christum, vos autem prudentes in Christo: nos infirmi, vos autem fortes: vos nobiles, nos autem ignobiles. **R. breve.** Constitues eos principes * Super omnem terram. Constitues. **V.** Mémores erunt nóminis tui Dómine. Super. Glória Patri. Constitues. **V.** Nimis honorati sunt amici tui Deus. **R.** Nimis confortatus est principatus eorum.

Ad Nonam, Antiphona.

Quicumque voluerit.

Capitulum. 1. Cor. 4. d.

Nam si decem millia pedagógorum habeatis in Christo: sed non multos patres. Nam in Christo Jesu per Evangelium ego vos genui.

R. breve. Nimis honorati sunt * Amici tui Deus. Nimis. **V.** Nimis confortatus est principatus eorum. Amici. Glória Patri. Nimis. **V.** Annuntiaverunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexerunt.

Ad Vesperas, Antiphona de Laudibus. 79. **Psalmi de Comuni Apostolorum.** j. **Capitulum & Hymnus,** ut in primis Vesperis. 7. **V.** An-

nuntiaverunt ópera Dei. **R.** Et facta ejus intellexerunt.

Ad Magnificat, Antiphona.

O beatum Apóstolum, qui inter primos electus, primus omnium Apóstolorum Dómini calicem bibere meruit! O gloriosum Hispaniæ regnum, tali pignore ac patróno munitione, per quem fecit illi magna, qui potens est, alleluia.

Oratio. Esto Dómine, ut supradictam confere dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur: concede propitius; ut cujus sollemnia celebrámus, ejus apud te patrocinio adjuvemur. Per eundem Dóminum nostrum Jesum Christum, &c.

Oratio.

Deus, qui beate Annæ gratiam conferre dignatus es, ut Genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur: concede propitius; ut cujus sollemnia celebrámus, ejus apud te patrocinio adjuvemur. Per eundem Dóminum nostrum Jesum Christum, &c.

DIE XXVI. JULII.

Secunda die infra Octavam, fit Officium de S. Anna, Duplex major, cum Commemoratione Octavæ Sancti Jacobi ad Laudes.

In secundis Vesperis fit Commemoratio sequentis, deinde Octavæ.

DIE XXVII. JULII.

Tertia die infra Octavam.

In Festo S. Pantaleonis Martyris. Semiduplex.

Quando hoc festum transferretur in aliam diem. Ad Vesperas, Antiphona. In tormentis, cum reliquis de Laudibus. 77. **Psalmi,** Dixit Dóminus, cum reliquis de Dominica, 94. & loco ultimi, **Psalmus** Laudate Dó-

Vv 2 mi-

minum omnes Gentes. 97. Capitulum. Beatus vir. Hymnus. Deus tuorum militum, ut in *Communione unius Martyris. xvij.*

¶ Glória & honore coronásti cum Dómine. *R.* Et constituísti eum super ópera manuum tuarum.

Ad Magnificat, Antiphona.
Gloriosus Pantaleon cœlestem medicum toto diléxit corde, & mérens pro Christo vivit in cœlo coronátus.

Oratio.

Deus, qui Pantaleonem Martyrem tuum vária torménta superáre fecísti, & pro persecútoribus exoráre: concede propitiús; ut qui ejus imploráms auxilium, misericórdiæ tuæ sentíamus effectum. Per Dóminum, &c.

Deinde fit *Memor. Octava.*

Ad Matutinum omnia de Communi unius Martyris, xvij. præter sequentia.

Lectiones primi Nocturni. Confitebor, ut in Festo Sancti Laurentii x. Augusti.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Pantaleon Nicomedénsis filius Eustórgii Gentilis, & Eubulæ Christianæ, medicam artem ab Euphrósino didicit: cum autem Hermoláus Præsbyter ex modéstia vultús, ex incéssu, & serenitate oculorum alté de illo judicáset, illum accersivit, & cepit in cor fluéntia divinæ fidei infundere. Crede mihi, dixit: *Asclápii & Hyppócratis* medicaménta parva sunt, & parúm prodésse possunt, quinimó ipsi dii, quos colit Maximianus, sunt vana omnino fábulæ. Unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si crederis, ejus solá invocátione omnes morbos fugábis. Quæ verba servábat in corde, jugiter meditabátur, &

suáriter alléctus ad Hermoláum, ut ad magistrum, hilaris quotidie ventitábat. Cum autem quadam die vidéret puerum mórtuum, & prope eum viperam quasi osténdentem quód mortem fecisset, intra se dixit: Si vera sunt dicta Hermolái, invocáto nómine Christi, puer iste vivet, & bellua moriétur: quod ut cogitávit accidit, & statim infusá luce securitátis, omnis caligo discessit, & benedicens Deum, astuansque desidério sacri baptismi, ab Hermoláo gaudens suscepit.

R. Honéstum fecit illum Dóminus, & custodívit eum ab inimicis, & a seductóribus tutávit illum: * Et dedit illi claritátem aeternam. *V.* Descenditque cum illo in fóveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et.

Lectio v.

Non multó post cæco visum restituit, & patri Eustórgio tenebras impietátis solvit, qui idóla calcans, & verum Deum confessus baptizátur. Mórtuo patre, egénis opem, & languéntibus sanitátem largiebátur, quare ad Maximianum déferunt, qui primúm honóre, & blanditiis atráhere studet, deinde minátur mortem, & dura supplicia, si diis non offerat sacrificium; sed cum ómnia invicto ánimo respúeret, in ligno suspendítur, ferreis laniátur unguis, & lámpades ignis latéribus ejus admoventur. At illo oránte apparuit Christus dulcibus verbis illum récreans, & illicó lassátæ sunt manus licitórum, extinctæ lámpades, & plumbum liquátum, in quod postmodum tyranno jubente injectus fuit, in naturálem mutátur frigiditátem. Sed quid non tentat ingeniósa crudélitas! mandat ingéntem lápidem collo alligári, sicque in mare dimitti: sed lapis non secus ac fólium leve supernatat, & Pantaleon

leon firmiter super undas gráditur. Non cessit tantis prodigiis tyránni obcæcáta mens, sed feris insanior jubet ad feras prodúci. Crudéle spectáculum! sed spectábile cœlo: conflúxit tota civitas, congregiuntur cum Athléta feræ, at illæ tamquam ratióne uténtes, & inditæ humanitátem, quam exóerat Imperátor, reveréter ad Mártýrem accédunt, blandiuntur, pedesque illius linguá tangéntes, véluti contendébant, quenam prima ad eum accéderet, & non priús recéderet, quam Mártýr ei manum imposuisset, & ei benedixisset.

R. Desidério ánimæ ejus tribuisti ei Dómine, * Et voluntáte labiórum ejus non fraudásti eum.

V. Quóniam prævenísti eum in benedictiónibus dulcedínis: posuisti in cápíte ejus coronám de lápide pretioso. Et voluntáte.

Lectio vi.

Quo viso, clamábant multi: Dimittatur justus: magnus est Deus Christianórum, qui quidem solus, & verus est. Sed Maximianus nec edóctus á feris pietátem, nec tanto lúmini cedens, imperat Pantaleonem in locum éditum ferri, & rotæ alligátum in præcepis per declive dimitti. At rotá ultrice, & plures deórum oppriméte cótores, illæsus evásit, quare gládio occídí jussit. Accessit licitor, ólea plantæ illum alligat, sed cum exequerétur ictum, convérsa fuit ferri ácies ceræ similis, quó miraculo stupefacti licitores, ad pedes Mártýris prolvónti véniam precántur, Christum apértè confiténtes: sed tandem ne periret glória martyrii, caput absconditur, & statim lac pro sanguine fluxit, & planta ólea, cui alligátus fuerat, fructibus onusta apparuit. Cum autem quidam fidéles convenissent,

sacrum corpus in suburbano cuiusdam scholástici reveréter repónunt, & quem in vite tantis prodigiis Dóminus illustráverat, post óbitum inádmiris honorávit. Inter quæ præclárum illud, quód sacer ejus crucior, qui amullá servávit Ravéli in regno Neapolitáno, & Romæ, á primis Vesperis festi usque ad diem sequéntem, in quo Ecclésiá célebrat ejus martyrium, cum coagulátus antea existat, mirum in modum liquefieri, & undequaque quoránnis conspiciat. Quod étiam accidit in portione sanguinis, qui Monasterio Regali Incarnatiónis Monialium Sancti Augustini Matrít inter pretiosióra pignora asservátur.

R. Stólá jucunditátis induit eum Dóminus: * Et coronám pulchritudínis pósuit super caput ejus.

V. Cibávit illum Dóminus pane vite & intelléctús, & aquá sapiéntiæ salutáris potávit illum. Et coronám, Glória Patri. Et coronám.

In tertio Nocturno Homília S. Hilarii Episcopi in Evangelio. Nihil est opértum, ut in Communi unius Martyr. xxxv.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphona.

In torméntis apparuit Christus Pantaleonem mirá dulcedíne perfundens. *Psal.* Dóminus regnávít, cum reliquis de Dómino. 13. *Antiphona.* Ego enim, ait Christus, in hábitu Hermolái tecum sum in ómnibus, quæ propter me páteris. *Antiphona.* Cum pro licitóribus exoráret, audivit de cœlo: Ultrá non vocaberis Pantaleon, sed Pantaleémon, id est, misericors; quia multi per te misericórdiam consequéntur. *Antiphona.* Lacte, & cruóre Mártýris collum fuit, pro quo cruórem, & aquam Christus

föderat. Antiphona. Pantaleon vârie cruciatus jûnger canebat: Sapè expugnâverunt me à juvenitute mea, etenim non potuerunt mihi.

Capitulum, Hymnus, & V. de Communi unius Martyris. xxv.

Ad Benedictus, Antiphona. Dixit Maximianus Pantaleoni: Quanam est ars præstigiârum, quæ tibi extinxit lâmpades, & satellitibus vires abstulit? Ad quæ respondit: Meæ præstigiæ Christus est.

Oratio. Deus, qui Pantaleonem, ut supra. 76.

Deinde fit Commem. Octavæ.

In ij. Vesperis, An. de Laud. Psalmi ut in ij. Vesperis unius Martyris. xxx. A Capitulo de sequenti, cum Commemoratione præcedentis. Antiphona. Recordatus fuit misericordiæ Dômini, & in conspectu tantium factus est illi adiutor.

Postea fit Commem. de Octava.

DIE XXVIII. JULII.

Quarta die infra Octavam, fit de SS. Nazario, Celso, Victore Martyrib. & Innocentio Papa & Confessore, Semiduplex, cum Comm. Oct.

In ij. Vesperis à Capitulo fit de S. Martha: postea fit Commem. SS. Nazarii, Celsi, Victoris ac Innocentii, deinde Octava, & SS. Felices, Simplicii, Faustini, & Beatrix Martyrum.

DIE XXIX. JULII.

Quinta die infra Octavam, fit de S. Martha Virgine, Semiduplex, cum Commem. Octavæ, & SS. Felices, Simplicii Faustini & Beatrix Martyrum.

In secundis Vesperis à Capitulo fit de Octava Sancti Jacobi, cum Commemoratione S. Marthæ, cum SS. Abdon & Sennen. Martyrum.

DIE XXX. JULII.

Sexta die fit de S. Hieronymo Emiliano Conf. Duplex.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, liv. præter sequentia.

Oratio.

Deus misericordiârum Pater, per mèrita & intercessionem beati Hieronymi, quem Orphanis adiutorem & patrem esse voluisti: concède, ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominâmur & sumus, fidèliter custodiâmus. Per Dôminum nostrum, &c.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrunt.

In secundo Nocturno.

Lectio iv.

Hieronymus est gente Patricia Emiliana Venetiis ortus, à prima adolescentia militiæ addictus, difficillimis Reipublicæ temporibus Castro novo ad Quarum in montibus Tarvisinis præficeret, Arce ab hostibus captâ, ipse in terrârum carcerem detruditur, manibus, ac pedibus vinctus; cui omni humanâ ope destituito beatissima Virgo, ejus precibus exorata, clemens adest, vincula solvit, & per medios hostes, qui vias omnes obsederant, in Tarvisi conspectum incolumem ducit. Urbem ingressus, ad Despararam, cui se voverat, manicas, cômpedes, catenas, quas secum detulerat, in accepti beneficii testimoniûm suspendit. Reverus Venetias, cepit pietatis studia impensius colere, in pauperes mirè effusus, sed puerorum præsertim misertus, qui parentibus orbati, egeni, & sordidi per urbem vagabântur, quos in aedes à se conductas recipit de suo alendos, & Christianis moribus imbuendos.

R. Honestum fecit illum Dôminus, & custodivit eum ab inimicis, & à

se-

Lectio vj.

Orphanis colligendis intentus Mediolanum proficiscitur, atque Ticinum, & utrobique collectis agminibus puerorum, tecum, vicium, vestem, magistros, nobilibus Viris faventibus, providè constituit. Inde Somascham redux, omnibus omnia factus, à nullo abhorrebat opere, quod in proximo bonum cedere pervideret. Agricolis immixtus per agros sparsis, dum se illis adiutorem in metendis frugibus præbet, mysteria fidei explicabat, puerorum capita porrigine foeda abstergens, & patienter tractans, curabat, putridis rusticorum vulneribus, medebatur eo successu, ut gratia curatioûm donatus censeretur. In monte, qui Somascha imminet, reperta specu, in illam se abdedit: ubi se flagellis cadens, dies integros jejuniis transigens, oratione in plurimum noctem protracit, super nudo saxo breve somnum carpens, sui aliorumque noxarum poenas luebat. In hujus specus interiori recessu ex arido silice extillat aqua præcibus servi Dei, ut constans traditio est, impetrata, que usque in hodiernam diem jugiter manans, & in varias regiones delatâ, agris sanitatem plerumque conciliat. Tandem ex contagione, quæ per omnem vallem serpèbat, dum egrotantibus inservit, & vitâ sanctos propriis humeris ad sepulchram defert, contracto morbo, annos natus sex & quinquaginta, quam paulo ante prædixerat, pretiosam mortem obiit, anno millesimo quingentesimo trigésimo sétimo, quem pluribus in vita & post mortem miraculis illustrem Benedictus Decimusquartus Beatorum, Clemens vero Decimus tertius Sanctorum fastis solèmniter adscripsit.

R. Iste homo perfecit omnia, quæ

Vvv 4

lo-

seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam. V. Justum deduxit Dôminus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

Lectio v.

Per eos dies Venetias appulerant beatus Cajetanus, & Petrus Carafa postmodum Paulus Quartus, qui Hieronymi spiritu, novoque instituto colligendi Orphanos probato, illum in Incurabili hospitali adduxerunt, in quo Orphanos simul educaret, atque ægrôtis pari charitate inserviret. Mox eorumdem hortatu in proximam continentem profectus, Brixia primùm, deinde Bergomi, atque Novocœmii Orphanotrophia erexit, Bergomi præsertim, ubi præter duo, pro pueris unum, & pro puëllis alterum, domum excipiendis (novo in illis regionibus exemplo) mulieribus à turpi vita ad penitentiam conversis, aperuit. Somaschæ demum subsistens, in humili pago Agri Bergomensis ad Venetæ ditionis fines, sibi ac suis ibi sedem constituit, formamque induxit Congregationis, cui propterea à Somascha nomen factum, quam subinde auctam, & propagatam, nedum Orphanorum regimini, & Ecclesiârum cultui, sed ad majorem Christianæ Reipublice utilitatem, adolescentium in litteris, & bonis moribus institutioni, in Collégiis, Academiis, Seminariis addictam Sanctus Pius Quintus inter Religiosos Ordines adscripsit, cæterique Pontifices privilegiis ornarunt.

R. Amavit eum Dôminus, & ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, Et ad portas paradisi coronavit eum. V. Induit eum Dôminus loriam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingrédere in requiem meam:

Quia te vidi iustum coram me: ex omnibus gentibus. **Y.** Iste est qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Quia te. Glória Patri. Quia te.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 19. b

In illo tempore: Oblati sunt ei parvuli, ut manus eis impōneret, & orāret. Et reliqua.

Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homilia 62. in Matth.

Cur discipuli pueros abigebant? Dignitatis causā. Quid ergo ille? ut doceat illos modeste sapere, fastidique mundanum concutere, & suscipit, & ulnis complēctitur, talibusque regnum cœlorum pollicetur, id quod etiam dixit superiis. Et nos igitur, si volumus hæredes esse cœlorum, hanc virtutem cum diligentia magna sectemur. Hoc est enim Philosophiæ culmen simpliciter esse cum prudentia: hæc vita est Angēlica. Anima enim parvuli omnibus animi morbis vacua est: non memoriā retinet injuriarum, sed eas inferentes adit, ut amicos, ac si nihil factum esset. Et quamvis à matre verbēribus cadatur, eam semper querit, & omnibus antepōnit.

Iste est qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrinā ejus replēta est: Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum. **Y.** Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cœlestia regna. Ipse intercedat. Glória Patri. Ipse intercedat.

Lectio viij.

SI Regiam ipsi ostēdas diadēmate ornātā, non præfert eam matri pannis detritis vestite, mal-

letque illam incōstam videre, quā Regiam mirifice amittam. Nam quod suum, quod aliēnum est, non ex paupertate, vel divitiis, sed ex amore existimare solet, & nihil plus requirit, quā necessaria, atque ut lacte replētus est, statim à mamma abscedit. Non eisdem, quibus nos, ærumnis præmitur, nec pecuniarum jacturā, rebūque similibus, nec iisdem, quibus nos, fluxus rebus lætatur, neque cōrporum pulchritudinem miratur. Ideo dicebat: Talius est enim regnum cœlorum; ut ex proposito voluntatis illa operemur, quæ naturā suā pueri faciunt.

R. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris: Et vos similes hominibus expectantibus Dōminum suum, quando revertatur à nuptiis. **Y.** Vigilate ergo, quia nescitis quā horā Dōminus vester venturus sit. Et vos. Glória Patri. Et vos.

Lectio nona de SS. Martyribus Abdon & Senen, ut in Brev. Te Deum laudamus. 12.

In Laudibus fit Commemoratio Octavæ. Antiphona. Visitavit nos. **Y.** Annuntiaverunt. Oratio. Esto Dōmine. ut supra. & SS. Martyr. Ana. Vestri capilli. **Y.** Exultabunt. xxxix. Oratio. Deus. ut supra.

In secundis Vesperis à Capitulo de sequenti, cum Commemoratione præcedentis, & Octavæ.

DIE XXXI. JULII.

Septima die infra Octavam, fit de Sancto Ignatio Confessore, Duplex, cum Commemoratione Octavæ ad Laudes.

In secundis Vesperis à Capitulo de Octavæ, cum Commemoratione S. Ignatii, & Sanctorum Machabæorum Martyrum.

FES-

FESTA AUGUSTI.

DIE I. AUGUSTI.

In Octava, Officium fit de ea sicut in die: & Festum S. Petri ad Vincula transfertur in diem xj.

In primo Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno Lectiones. Fundamenta ejus, de Comuni Apostolorum. xiiij.

In tertio Nocturno.

Lectio sancti Evangelii secundum Matthæum.

Lectio vij.

Cap. 20. c

In illo tempore: Accessit ad Jesum mater filiorum Zebedæi cum filiis suis, adorans & petens aliquid ab eo. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrōsii Episcopi.

Lib. 2. de Fide ad Gratianum, cap. 3.

Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicentibus autem illis, Possumus; ait illis Jesus: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Quam patiens & clemens Dōminus, quā alta sapientia, & bona charitas? Volens enim ostendere, quod non perfunctoriam rem aliquam discipuli postularent, sed eam, quam impetrare non possent; prerogativam eis paternæ honorificentie reseravit, non metuens, ne quid juri proprio derogaret, qui non rapinam arbitratus est, esse se æquāliber Deo: simul diligens discipulos quia sicut habes: Usque in finem dilexit eos. Nōluit his, quos diligeret, videri quod peterent denegasse sanctus & bonus Dōminus: qui mallet aliquid dissimulare de jure, quā de charitate depōnere. Charitas enim patiens est, benigna

est, non emulatur, non inflatur, non querit quæ sua sunt.

R. Misit Herodes rex manus, ut affligeret quosdam de Ecclesia: Occidit autem Jacobum fratrem Joānis gladii. **Y.** Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & Scribas, & ex illis occidētis. Occidit autem.

Lectio viij.

Denique, ut agnoscatis non infirmitatis, sed indulgentie esse quod dixit: Non est meum dare vobis: ubi sine matre filii Zebedæi rogant, nihil de Patre dixit: sic enim habes: Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. Ita Marcus Evangelista posuit. Ubi verò mater pro filiis rogat, hoc est secundum Matthæum: Non est, inquit, meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo: Hic addidit à Patre meo: quia majorem indulgentiam maternus poscebat affectus. Quod si putant dicendo: Quibus paratum est à Patre meo, quod aut Patri plus tribuit, ut sibi aliquid derogavit; dicant, utrum & illic putent Patri aliquid derogatum, quia dixit in Evangelio Filius de Patre: Pater non iudicat quemquam? Quod si sacrilegium putamus, dicere, quod Pater ita iudicium detulit Filio, ut ipse non hæbeat: (habet enim, nec potest amittere, quod habet naturaliter divina majestas) sacrilegium utique estimare debemus, quod non potest Filius dare quicquid, aut homines mereri possunt, ut quævis accipere creatura, præsertim cum ipse dixerit: Ego ad Patrem vado, & quocumque ab eo petieritis in nomine meo, hoc faciam.

R. Iste est qui ante alios Apostolos primus plantavit Ecclesiam sanguine suo: Cujus corpus in Galliam delatum, pro totum orbem

gl6-